

§. XI. Specialia ut commemorem, ordinis exigit  
ratio. Eliminato *D. Hutteri* compendio theologico  
*novas theologiae institutiones* conscribi iussit: qua in  
re bene suis consuluit. Namque theologia thetica  
fundamentalis hauriri debet ex dictis & dictionibus  
biblicis: *Hutterus* raro habet definitionem adæqua-  
tam & accuratam: in ipso loco de Christo & alibi  
apud Hutterum non desunt (\*) errores: multa dicta  
ab eo allegata rem propositam plane non probant:  
nihil proponit de ordine salutis, quæ tamen doctrina,  
hoc præsertim ævo, prorsus est necessaria; ut alia si-  
lentio prætermittam. Neque defuerunt theologi  
ορθοδοξοτατοι, qui de insufficientia compendii Hutteriani  
sunt con questi. Ipse *b. D. Mich. Henr. Reinhardus*,  
qui postea Serenissimi GÜNTHERI SAPIENTIS, Schwarz-  
burgici, primarius fuit theologus, cum olim Hild-  
burg-

---

(\*) Errat utique libri *didacticæ* auctor, qui Christo duplex tantum  
officium tribuit, gradus utriusque status Salvatoris minus di-  
stincte tradit, & in commemorandis tribus generibus com-  
municationis idiomatum non illum observat ordinem, quem  
& sacra scriptura *Joan. I, 14.* & historia ecclesiastica suppedi-  
tat: qui locum *de scriptura* iejune proponit, & existentiam  
DEI argumentis rationis non confirmat: qui *pænitentiam* post-  
ponit *iustificationi*: qui media salutis, *verbum* & *sacramenta*,  
non docet coniunctim: qui principia salutis confuse docet &  
doctrinam *de gratia Spiritus S. applicatrice* prorsus neglit; qui  
denique consummationem sæculi iudicio extremo præponit.